

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Qvatvor Theses Theologicae**

**Froriep, Justus Friedrich**

**[Erfurt], [MDCCCLXXVIII?]**

**VD18 13413295**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15818**

18  
**QVATVOR THESES  
THEOLOGICAE.**

---

QVAS  
PRAESIDE  
**IVSTO FRIDERICO FRORIEP,**  
*SS. LITERARVM DOCTORE,*  
THEOLOGIAE AVGVSTANAEC CONFESSIONIS IN VNI-  
VERSITATE LITERARVM ERFVRTENSI PRO-  
FESSORE PRIMARIO &c,

H. L. Q. C.

PROPVGNABIT

**GEORGIVS HENR. SIGISM. NERIES,**  
HAMBVRGENSIS, SS. LITERARVM CVLTOR,

---

A. D. XXX. APRILIS MDCCCLXXVIII.

LITERIS NONNII, ACAD. TYP.



18

QVAT  
THE


IVSTO FR  
IEP,

SS. L  
THEOLOGIAE A  
VERSITATE  
FI

GEORGIVS  
HAMBVR

A. I  
LITEI

Farbkarte #13



*OPPVGNABIT THESIVM*

*p r i m a m & secundam*

**IACOBVS CHRISTOPH. REINHARDT,**

*Erfurtenfis,*

reverendi Ministerii Candidatus;

*tertiam*

**HENRICVS ERNESTVS BÜCHNER,**

*Erfurtenfis,*

SS. Literarum Cultor<sup>1</sup>;

*quartam*

**GEORGIVS MICHAEL SCHVLZE,**

*Erfurtenfis,*

SS. Literarum Cultor.



I.

*Vltimum Pentateuchi caput Mosem habere nequit auctorem.*



Est nobis quidem persuasum, juris judaici illum codicem quinque libris comprehensum a Mose, cui semper eum vindicavit ecclesia tam israëlitica quam christiana, fuisse conscriptum; verum dubitare licet, num divinus vates pentateuchum ita ediderit, ut hodie eum legimus. Nam ex nostra sententia Deuteronomii faltem caput trigesimum quartum diversum a Mose habuit auctorem: siue is fuerit Iosua imperator, sive Esra legis peritus, siue alius vir θεοπνευσος. Qui enim fieri potuit, ut Moses ipse suam mortem quaeque illam secuta sunt describeret, ut luctum, cui tristissimae hujus rei causa per triginta dies indulserant Israëlitae, enarraret, vt semet ipsum maximis extolleret laudibus et, quod ca-

\* 2

put





put rei est, pro certo affirmaret, sepulcrum, in quo collocatum esset quod exuerat corpus, *hodie* omnes & singulos latere ? (וְלֹא יַדַּע אִישׁ אֲתָה קָבְרָתָו עַד הַיּוֹם הַזֶּה) Nos quidem non ignoramus, fuisse, qui contrariam amplectentur sententiam atque dictam pericopen ipsi Mosis adscriberent: ut Philonem, Iosephum, Origenem, Pfeifferum, alios; sed quae ab iis adducuntur rationes tam leves sunt, tam remotae a probabilitate, a simplicitate, a recta boni interpretis via, ut minime mirum nobis videatur, displicuisse illas quibusdam viris eruditis nec justae eorum exspectationi satisfecisse. Scilicet Iosephus (\*) ita: "in sacris libris scripsit Moses se mortuum esse, veritus ne dicere auderent, se propter virtutis magnitudinem ad Deum discessisse." Pfeifferus autem sic: "mors & sepultura Mosis ab ipso Mose descripta est; Qui revelavit ipsi praeirita, de quibus nemini constare alias potuisset, ceu historiam creationis, idem & futura adeoque ipsius mor-

(\*) Antiquitatum judaicarum libr. IV. cap. 8. §. 48. pag. 255. edit. Havercamp. Verba graeca ita se habent: γεγραφέ δ' αὐτον ἐν ταῖς ιεραῖς βιβλοῖς τεθνεώτας, δειπνός μη δι υπερβολὴν τῆς περι αὐτον αρετῆς προς το θειον αὐτον ἀναχωρησά τολμησωσιν εἰπειν. Perlegas adnotationem p, in qua Iosephus & Philo inter se conferuntur &c,





5

"mortem." (\*) Ut alia testimonia silentio praetereamus. Sed quis est, qui ejusmodi rationibus persuaderi sibi patiatur, a Mose scripta fuisse, quae ab eo scribi nequissime clarissimis & gravissimis demonstrari potest argumentis? Nos ergo, apud quos auctoritas sine ratione nihil valet, negamus, ultimum Pentateuchi caput a Mose suam traxisse originem. Atque gavisi sumus, hanc nostram sententiam, ut et aliam, qua mortuum Israëlitarum legislatorem a Deo sepultum fuisse negamus ac vocem יָכֹר cum prudentioribus vertimus: sepelierunt, sepultus est, man begrub ihn, er ist begraben worden, populo arrisstet, quam utramque nuper sine strepitu de meliori nota commendaremus. Sed expertes literarum saepissime docilitate superant iis imbutos. Quo minus autem isti, dum ex auctoritatibus pendent, nobis succenseant, impedit observatio: in nostram descendere sententiam Andream Massium, Richardum Simonium, Petrum Danielem Huetium, alios viros eruditissimos, sagacissimos, praestantissimos.

\* 3

II.

---

(\*) Vid. Dubia vexata S. Scripturae, sive loca difficilliora veteris testamenti, centur. II. loc. 44. aut, si mavis, Augusti Pfeifferi opera omnia philologica, pag. 170. Ultrajecti, 1704. 4. — Origenes suam protulit sententiam in secundo adversus Celsum libro.





## II.

*Is, qui Pythonissae Endoreae fraudibus ab inferis excitatus cumque Saulo rege locutus fuisse perhibetur,  
non fuit Samuel propheta.*

Fraudis historia enarratur i Samuelis XXVIII. Tantum enim abest, ut credamus, pie defunctum prophetam ab Endoreensi muliere, auxilium praebente Diabolo, in hanc terram fuisse reductum, ut potius nobis persuadeamus, ne glaucoma quidem, quod regi Saul objecerit praestigiatrix, ope diaboli objectum fuisse. Nam etiamsi concedimus, hostem generis humani maiorem potestatem habuisse tempore, quod ante Christum natum effluxit, quam quod eundem infecutum est, tamen praestigiae, quarum loco laudato mentio fit, ita comparatae erant, ut ad similitudinem Schroepferianarum auxilio diaboli minime indigerent. Rem vero a pythonissa gestam nihil praeter fraudem fuisse, nec prophetam Samuelem Saulo regi vere apparuisse: multa nos docent. Primo narratio ipsa, accurate perspensa, tum sanctitatis Dei, ejusque justitiae ac sapientiae consideratio, denique amoris divini magnitudo. Ad narrationem ipsam quod attinet, omnes ejus partes, ne illa quidem excepta, in qua tristia quaevis perturbato regi praedicuntur, astutiam, fraudem, glaucomata idque genus alia pree se ferunt; nec perspicimus, quomodo ex hac narratione rite sequatur, miraculo-



culorum maximum a praestigiatrice editum atque vaticinationes veri nominis ab eadem prolatas fuisse. Porro si persuasum nobis est, Deum sanctum esse, justum, sapientem, fieri nequit, quin credamus, Eum necromantiae illiusque cultoribus adversaturum, leges contra quodcumque praestigiarum genus datas vindicaturum, omnium hominum fraudulentissimis nulla ratione fauturum, neque iisdem permisurum esse potestatem miraculorum veri nominis, quae sola veritatis signa sunt, faciendorum. Denique si amorem cogitamus, quo pie defunctos Deus amplectitur, negare & pernegare nos oportet, Eum praestigiatrici Endoreae in potestatem tradidisse beatum Samuelem, ut divinam legem ea violaret, mendaciumque tueretur. (\*)

## III.

*Quod Iohanni suppositum est dictum de tribus in coelo testibus hoc jure meritoque rejicit Lutherus & in vernacula versione praeteriit.*

Dictum illud in Ioh. 5, 7. spurium esse, a viris eruditissimis accurate demonstratum est. (Legas celebrum

---

(\*) Qui plura scire cupit, legat Io. Alphons. Turretinum, (dilucidationum vol. 2. pag. 356.) Iacobum Serces, (traité sur les miracles, pag. 203.) Samuelem Chandler, (critical history of the life of David, Part. I. pag. 230. ex interpretatione vernacula clarissimi Diedrichs.) alios,





rimum Griesbachium in egregia novi testamenti editione,  
vol. 2. pag. 225-226.) Lutherum vero quoad vixerit  
ita egisse, ut in thesi affirmamus, tam certum est, quam  
quod certissimum. Quo utroque posito summum vi-  
rum ab imperitia, levitate animi, cordis malignitate, aliis  
que opprobriis vindicamus. Sed de hac re, quam mini-  
me exhaustam esse videmus, alias plura. Lutheri constan-  
tia excellentior est Erasmi timiditate.

#### IV.

*Historia adulterae apud Iohannem Evangelistam (cap.  
VII, 53, VIII, 1-11) a suppositione vin-  
dicari potest.*

Qui nuper Paraphrasin evangelii Iohannis cum no-  
tis & cantabrigiensis codicis latino textu edidit eruditissi-  
mus Semlerus dictam pericopen (P. I. pag. 275-278.)  
supposititiam declarare videtur. Quominus vero huic  
sententiae, cui & alios magni nominis viros favere con-  
stat, adsentiamur, impediunt gravia quaedam argumenta,  
tum externa, ut loqui amant, tum interna: de quibus  
coram plura dicemus.

